M0009944: Anatomical fugitive sheet, male

Publication/Creation

March 1947

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ckatsfc5

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

63577

TABVLA EXHIBENS INSIGNIORA MARIS VISCERA.

PRæſens figura Marem cum præcipuis medij atq; imi uentris organis ac uiſceribus exhibet. Aperto enim abdomine primum occurrit περιτόναιον, quod cum undiq; cingat & ueſtiat infimæ cauitatis in corpore membra, pingi hoc loco non potuit. Eo diſſecto, ἐπίπλοον occurrit ſeu omentum, quod ſeorſim delineatur inter uiri pedes, litera D. Sub hoc proximè locantur uentriculus & inteſtina.

Ventriculi in corpore partem ac ſedem anteriorem monſtrant literæ E F. Atq; E quidem fundus eius eſt, F pars dextra uergens ad πύλωρον. Huic à parte dextra incumbit Epar litera D inſignitum. A ſiniſtra lien eſt, G. Inteſtina craſſiora & κόλον repræſentat H. etſi in dextro latere, ubi è gracilibus enaſcitur, non omnino circumducitur, uelut hic pictura falſo monſtrat. L. locus eſt, ubi rectum inteſtinum deſcendit in anum. I. gracilium inteſtinorum anfractus & gyri. His omnibus in hac figura teguntur Renes, uaſa urinalia & ſeminalia.

α γ. Vena caua, qua parte dorſo incumbens deſcendit. Huic ſubſternitur Arteria magna β κ, quæ deinceps uenam tranſcendit, prius quam, ſicut & uena, in duos ramos finditur ſupra oſsis ſacri initium.

Rami, qui è uena & arteria uerſus Renes utrinq; excurrunt, emulgentes uocantur: Eſtq; ε ren dexter, δ ſiniſter, etſi plærumq; dexter ſub epate altior eſt ſiniſtro ſub ſplene.

ζ ζ. meatus, quo ex rene urina in ueſicam ducitur, οὐρητήρ. κ, ſeminalis uena, λ ſeminalis arteria dextrum teſtem petens. θ. ſeminalis uena ſiniſtri teſtis, μ. eiuſdem arteria. ν. ueſicæ fundus. ο. ο. uaſa ſemen à teſtibus ad penem deferentia.

A A. portiones ſunt uerarum coſtarum. B B. notharum. C C. os ſacrum. D D. os coxæ. Atq; hæc in imo uentre.

MEDII uentris membra: Pulmo, A A, & huic Cor incluſum, B. Διάφραγμα uel ſeptum tranſuerſum, diſtinguens membra medij atq; imi uentris, eſt C. C.

PARTICVLARIVM FIGVRARVM DESIGNATIO.

OCuli per medium diſſecti, ita ut facies eius interior in conſpectum ueniat, figuram mas dextra manu geſtare fingitur. Eſtq; 1. humor cryſtallinus. 2. Ab anteriore parte cryſtallino humori tunica obducitur, ceparum pelliculæ ſimilis. 3. humor uitreus. 4. nerui optici ſubſtantia. 5. dura tunica, è craſſa cerebri meninge prognata. 6. humor aqueus. 7. Vuea tunica, introrſum compreſſa, & perforata: pupilla. 8. Tunica ab uuea ducens initium, cilijs ſeu palpebrarum pilis ſimilis. Diſtinguit humorem uitreum ab aqueo. 9. Muſculi oculum mouentes.

A. duræ tunicæ pars, cornu inſtar pellucida. Huic appendices uicinæ, notant albam oculi tunicam, adhærentem ſeu coniunctiuam.

A dextra parte capitis, cernitur integrum μεσεντέριον, à partibus connatis auulſum, ad literam B. Eſtq; α α. grandulоſum eius corpus, circa cuius medium eſt meſenterij centrum. β, pars rectum inteſtinum, γ. colon dorſo affigens.

A leua, exprimitur διάφραγμα, litera C. cuius ſubſtantia interior membranoſa eſt, γ γ. Ambitus uero, α., α., carnoſus. β β. duo ligamenta ſeu tendines eius, inſerti uertebris lumborum. Inter has literas ſciſſura eſt, qua id uertebrarum corporibus incumbit, aortam, uenamq; ἄζυγον tranſmittit. δ. foramen ſtomacho, ε. uenæ cauæ patet.

Inter diducta uiri crura ἐπίπλοον ſeu omentum integrè liberatum à cohærentibus partibus reponitur, Arab. Zirbus. α, uenæ portæ caudex, ubi è iecore prodiens, inferiore omenti membrana continetur ac fulcitur. Ei incumbit & arteria, epatis cauum & ueſiculam bilis petens. ε. ε. omenti inferior, ζ ſuperior membrana.

E, totius aſperæ arteriæ, ab omnibus partibus liberæ anteriorem faciem exprimit. Caput eius λάρυγξ ex tribus cartilaginibus, & muſculis pluribus componitur.

F, tria particularia oſſa monſtrat: 1. os υ referens, os linguæ uel gutturis, morſus Adam. 2. oſsiculum incudi, 3 oſsiculum malleolo comparatum.

G, anteriorem integri uentriculi & ſtomachi faciem exprimit, una cum uenis, arterijs, & neruis ipſius, α. ſtomachi pars in fauces pertingens. β, glandulоſum corpus, ſtomacho frequenter adnatum, qua quintæ thoracis uertebræ inſidet. ε γ δ. & ζ δ. neruulus ſexti paris cerebri ad ſtomachi orificium ſuperius, δ. exporrectus multiplici ſerie. θ. κ. uenæ uentriculi cum ſuis arterijs. κ fundus uentriculi, quem & ipſum uenæ atq; arteriæ perreptant. λ, inferius uentriculi orificium, πυλωρός. μ, duodenum inteſtinum, etſi inter pingendum in poſteriora reflecti debuiſſet. ν. bilis ueſiculæ meatum in duodenum inteſtinum demonſtrat.

H. Veſicula, bilis receptaculum eſt. π. meatus ueſiculæ fellis per iecoris corpus exporrecti inter ramos uenæ cauæ & uenæ portæ. ο. uenæ portæ & cauæ propagines in ſubſtantiam Epatis diffuſi. ς. arteria & neruulus, iecori & bilis ueſiculæ communis.